



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

§. 1. De materia & forma Sacramenti Eucharistiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

*Part. 3. tract. 4. cap. 4. De Sacram. Euchar. 343*  
quæ conducunt ad singularem ejus utilitatem ,  
maximè inter hæreticos, ubi necesse est ad con-  
stantem fidei confessionem hoc Sacramento ro-  
borari. Hinc etiam Parochis incumbit pueros in  
catechesi de hujus Sacramenti virtute edocere ,  
& suo tempore Episcopis confirmandos offerre.

## CAPUT IV.

### *De Sacramento Eucharistia.*

**R**ealem Christi præsentiam in Sacramento  
Eucharistiæ, transmutationem panis & vi-  
ni , communionem laicorum sub unica specie  
&c. contra Sectarios accuratè probata invenies  
supra in Controv. part. 2. cap. 3. 4. & 5.

Porro ad quæstiones alias , & principia hic  
præmittenda.

Dico breviter primò ; In Consecratione ex vi  
verborum sub speciebus panis constituitur Cor-  
pus Christi, & per concomitantiam etiam San-  
guis, anima, divinitas, aliaque ipsis unita : uti &  
in Calice constituitur solus Sanguis ex vi verbo-  
rum, & reliqua per concomitantiam. Constat ex  
Trid. sess. 13. cap. 3.

Dico secundò : Christus existit totus in tota ,  
& totus in singulis partibus hostiæ consecratae :  
sic nempe ut nulla pars sensibilis hostiæ sive di-  
vise, sive conjunctæ sit tam exigua quin totum  
Christum contineat. Probatur ex Trident. sess.  
13. cap. 3. ubi id negantibus de partibus divisus  
anathema dicit Can. 3.

Dico tertio : Statuitur Christus sub speciebus  
Eucharisticis non per novam productionem, ut  
aliqui Theologi volunt, sed per adductionem, id  
est,



344 *Part 3. tract. 4. cap. 4. De Sacram. Euchar.*  
est, per novam tantum presentiam quam corpus  
ejus existens in caelo simul in altari sub specie-  
bus sacramentalibus collocatur. Nihil enim aliud  
ad hoc videtur esse necessarium.

Dico quartò; Accidentia sive species panis &  
vini remanent in Eucharistia extra subjectum,  
sic ut color, & sapor & alia, quae in hoc Sacra-  
mento sensu percipimus, in Corpus Christi tan-  
quam subjectum non recipiantur. Ita colligitur  
ex Concilio Constantiensi sess. 8. contra Wiclef-  
sum id negantem. Non enim sunt illa in sub-  
stantia panis jam destructa, neque in Corpore  
Christi, quod in Eucharistia est gloriosum, &  
passionis expers. Probabilius etiam est, contra  
Thomistas, reliqua accidentia non recipi in  
quantitatem, quae fortè à substantia non distin-  
guitur.

Dico quintò: Desinit Christus esse sub specie-  
bus consecratis, quando species sic immutantur  
ut desineret forma panis & vini, si illic loco  
Christi adessent. Hinc in stomacho speciebus  
Eucharisticis per calorem naturalem destructis  
praesentia Christi evanescit. His ita constitutis  
ad resolutiones practicas proprius accedamus.

§. I. *De Materia & forma Sacram. Eucharistia.*

1. **M**ateria hujus Sacramenti est panis, & vi-  
num: uti patet ex institutione Christi  
*Matt. 26. & Marci 14.* Panis ille necessitate Sa-  
cramenti debet esse triticeus, ex praxi, & sensu  
Ecclesiae, & Conc. Florentino, quod eodem mo-  
do panem triticeum assignat, quo vinum pro ca-  
lice quod constat requiri ad valorem Sacra-  
menti. Huic tamen non officit immixta fuisse  
tritico pauca grana alterius frumenti, quia per  
hoc



hoc non desinit esse panis triticeus usualis, ita  
*D. Thom. alijsque.*

2. Oriza, avena, milium, hordeum, non sunt materia hujus Sacramenti; cum ex ijs non soleat panis confici pro hominis victu nisi ob defectum tritici, quare nec simpliciter panis vocabulum meretur.

3. Ut panis azymus sit, non est de necessitate Sacramenti, quamvis id congruentius sit, cum etiam Christus in azymo consecraverit. Observanda tamen est consuetudo utriusque Ecclesiae, ita ut non solum Latinus peccet, si in fermentato consecret, sed etiam Graecus si in azymo, quamdiu intra terminos Ecclesiae suae commorantur: quod etiam observandum est in casu necessitatis, etiamsi aegrotus absque viatico decedere deberet. Ratio est, quod Ecclesiae utilitatem, majestatem, tantique mysterij reverentiam valde interfit, universales in eo ritus observari. Quare cum Sacramentum hoc non sit absolutae necessitatis, merito ratio publica privato commodo spirituali praefertur.

4. Acetum non est materia Consecrationis, cum sit vinum corruptum, potest tamen valide Sacramentum confici ex vino acido vel accescente, sicut ex pane mucido nondum corrupto, sed ad corruptionem disposito. Denique neque agresta valide consecrari potest, cum agresta ex uvivis immaturis expressa, nondum ad naturam vini pervenerit.

5. Admixtio aquae ad vinum non est de essentia Sacramenti, sed praeccepti tantum Ecclesiastici sub peccato mortali obligantis. Non est tamen improbabilis opinio Alphonsi à Castro, ex Christi praeccepto ab Apostolis nobis tradito vinum aqua miscendum esse.



6. Ad essentiam formæ pertinent tantum hæc verba, *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei.* Reliqua tamen verba, *Novi & Æterni Testamenti &c.* sine gravi peccato omitti non possunt.

7. Ad valorem Consecrationis requiritur ut Sacerdos materiam consecrandam determinatè cognoscat & intendat. Quia omnis actio transiens versatur circa singularia determinata, idque in casu nostro ad veritatem demonstrandi *Hoc, & Hic* necessariò requiritur.

8. Sacerdos censetur habere intentionem Ecclesiasticæ consuetudini conformem, nisi eam contrario actu excludat. Unde etsi existimet quinque tantum hostias adesse, cum sint sex, omnes consecrat. Quia speculativus ille error non obstat practicæ intentioni consecrandi omnes hostias ante se constitutas, *Suar. Sylv. Henriq.*

9. Si quis inscio seu non advertente Sacerdote hostias minores in altari ponat, non consecrabitur. Quia nec actualis nec virtualis intentio in illas fertur. Si verò Sacerdos antequam egrediatur sacristiâ de consecrandis hostijs in altari positis, vel ponendis admonitus eas consecrare proponat, etiamsi postea obliviscatur, censeri debent consecratæ. Quia in tali casu adest intentio virtualis, hoc est, prior intentio continuatur in actibus qui postea sequuntur in ordine ad consecrationem, ita *Reginal. Laym. l. 5. t. 4. c. 2. Bonac. t. 1. d. 4. q. 2. p. 2. & alij* qui judicant id in praxi tutum esse.

10. Si formulæ, id est, parvæ hostiæ adferantur Sacerdoti paulò post oblationem, vel (ut addit Averfa q. 11. §. 12.) ante inceptam præfationem, licitè eas consecrat, oblationem solâ mente supplendo, ita *Possevin. Gavantus, Tambur. Diana* §. 2. p. 2. ar. 14. resol. 71.